

pronunciationem et ordinationem et omnia et singula in eis contenta humiliter approbantes, ea emologarunt, et contenta in ea promiserunt, fide in nostris manibus positâ et traditâ, tenere firmiter, et inviolabiliter observare, et contra ea seu eorum quilibet non venire vel facere quomodolibet in futurum. Et ut hæc omnia manifesta sint, perpetuo ad conservacionem honoris utriusque dictarum partium præsentem literas patentes nostrò magnò sigillo sigillatas eisdem et eorum cuilibet duximus concedendas. Datum et actum Parisius die IX. Decembris, anno Domini millesimo tercentesimo quinquagesimo secundo.

In ambitu sigilli viridi cere
impressi, literis majusculis:

JOHANNES, DEI GRATIA FRAN-
CORUM REX.

*In parte infima hujus instrumenti
membranacei*

Per Regem in magno Consilio suo

LUYS SIMON P.

VIII.

EXCERPTA

DE

GESTIS OTTONIS TARENTINI, DVCIS
BRUNSVICENSIS

EX THEODORICO DE NYEM ET GOBELINO
PERSONA.

EX THEODORICI DE NYEM LIB. I. DE SCHISMATE.

Cap. VI.

*De Ottonis Ducis Brunsvicem ac Joannæ Reginae Sicilia uxoris suæ in urbani-
num studiis.*



Qvod Vrbanus ipse ita profiliit ad increpationes indiscretas & nimium repentinas, causa fuit, quia quondam domina *Ioanna regina Hierusalem et Sicilia*, quam postea idem Vrbanus Sicilia regno privavit, audiens eum ad Papatum promotum esse, gavisa fuit gaudio magno valde, ac per multos dies Neapoli luminaria multa more illius patriæ, per totam civitatem in crepusculo vespertino, ad honorem dicti Urbani incendi fecit, nec non ambasiatores ipsi reginæ per eundem Urbanum statim post electionem suam destinatos benignè recepit, et multis grandibus et liberalibus donariis prævenit, ipsique Urbano XL. milia ducatorum in auro partim, et partim in moneta argentea in illo principio destinavit: nec non paulo post vina, et blada ac carnes falsas, et caseos per mare in navigiis, in magnis quantitibus sibi transmittendo, regnum quoque suum et omnia quæ habebat, sibi obtulit, credendo eum sibi semper remanere benevolum. Et ab alio latere ille quondam pater principum, et norma nobilium scilicet dominus *Otto dux Brunsvicensis, & princeps Tarenti*, maritus dictæ reginæ, qui etiam prædictum Urbanum ante ipsius Papatum summe dilexit, et quantum potuit per dictum Gregorium Papam paulo ante ipsius obitum ad faciendum pacem inter Romanam ecclesiam colligatos, ad Tusciæ et Liguriæ partes destinatis omnibus per ipsum fideliter et prudenter pro ipsa pace reformanda inter easdem partes disceptantes compositis ad eandem urbem rediit circa ipsa festa Paschalia, cum bonis novis pacis hujusmodi conclusæ reperiendo ipsum Gregorium interim vita functum, qui etiam exhilaratus vehementer de promotione dicti Urbani sibi obtulit se et sua.

Cap.

Cap. VII.

De insolentia Urbani.

ET cum infra eadem festa dictus Otto sumto prandio cum Urbano, ut moris est, ei quadam die potum præberet in collatione, in præsentia quorundam Cardinalium, & aliorum magnæ authoritatis virorum, dictus Urbanus ex fastu scyphum de manibus tanti principis stantis coram eo diu genibus flexis recipere tardavit, donec ad eum quidam ex eisdem Cardinalibus diceret hæc verba: Pater sancte, tempus est, ut bibatis. Nec fefellit in eo illud pro tunc; *Asperius nihil esse misero qui surgit in altum: nec illud; torde stat inflato pauper honore dato.* Et licet tunc sollicitaretur instanter, quod eandem pacem pro ipsius statu firmando benignè acceptaret, hoc tamen pro tunc facere non curabat, credens se super pennas ventorum iam volare, quæ etiam præconceptum rancorem iam inter ipsos & suos Cardinales prædictos non mediocriter adauxerunt, & eum delirum communiter ipsi cardinales iudicabant. Fuit enim duri cordis: Vnde probavit illud, *Cor durum habebit malè in novissimo: & Qui amat periculum, in illo peribit.* Sed paulo post fuscitata nimis periculosa discordia inter ipsum & dictos cardinales, prædictum schisma magis propterea ex rancore mutuo partium, quam allegata impressione in electione dicti Urbani, ut in precedentibus tangitur, habuit ortum. Romanis autem civibus pro posse complacere studuit idem Urbanus, in quo etiam ipsis Cardinalibus vehementius displicebat. Vnde sigillatim dicti Cardinales ab ipso existente adhuc in eadem vrbe circa medium mensis Maji post eius coronationem recesserunt, nec non ad Anagninam civitatem Campaniæ Romanensium declinarunt recreationis causa pro illo æstivali tempore, ut dicebant, quia tunc, ut communiter, incipit calor in eadem urbe vigere. Ipse autem Urbanus sentiens infra aliquot dies postea, quod illic contra eum conspirassent, quoque contra ipsum procedere vellent ipsi Cardinales, satis doluit, quod eos à se liberè abire permisisset, sed animo eos ad se revocandi etiam de ipsa urbe ad civitatem Tiburtinam, quasi in medio itinere inter urbem & Anagninam collocatam, & sub spe recreationis infra dies paucos postea accessit, ubi extunc per quatuor menses vel circa stetit, & inter hæc dicti Cardinales in Anagnia huiusmodi contra ipsum processum inchoarunt, in quo eum Bartholomæum Barensem in Papatu intrusum nominarunt, ipsumque ad certam diem citarunt, & multa contra eum attentarunt sub tuitione quondam Honorati Comitis Fundorum, qui dictam Campaniam tunc & diu ante pro eadem Romana Ecclesia gubernabat.

Cap. VIII.

Quæ ad extinguenda nascentis seminaria schismatis ab Ottone, aliisque gesta sint.

INTERIM vero dictus dominus Otto princeps Tarenti, sentiens per famam forsan, hoc nefando schismate jam orto, & ne tantum malum vires assumeret in tota Christianitate, quia erat vir totus Catholicus, ac etiam ipsi Urbano valde compatiendo, cum decenti comitiva Jurisperitorum & militum de Neapoli venit ad ipsum Papam ad Tiburtum, conando eum cum dictis Cardinalibus in amicitiam reponere, ac secum ordinare, quod quondam Maria regina & hæres regni Trinacria consanguineo suo strenuo viro juniori Marchioni Montisferrati, qui tunc cum eo morabatur, nuptui traderetur pro bono statu Trinacriæ & etiam Siciliæ regnorum præfatorum, prout de hoc partes ipsæ & omnes Barones dicti regni Trinacriæ jam simul, ut sic fieret, concordabant, quorum tamen neutrum dictus princeps potuit ab eodem Urbano finaliter obtinere: proposuit enim jam in mente sua, quod dictum regnum Trinacriæ in Franciscum Pregnantum nepotulum suum ex ejus fratre genitum, de quo suo loco inferius multa dicentur, qualitercunque transferret. Videns igitur ipse princeps, se non proficere in promissis cum eodem Urbano, quia erat aliquantulum literatus, quadam vice dolenter coram nonnullis dicebat pro certo, Pater noster non Urbanus, sed potius, ut timeo, Turbanus diceretur, & multis erit adversitatibus involutus, & ruina multorum. Quod audiens etiam tunc præfens quondam ille celebris Doctor legum dominus Nicolaus de Neapoli Rector provinciæ in Gallia pro ipsis domino Ottone principe & Joanna regina tunc temporis, accessit ad eundem Urbanum, qui erat ei valde familiaris ante Papatum, rogando ipsum, ut omnino consiliis dicti principis acquiesceret, qui nisi bonum ipsius domini Urbani, & ut concordia vigeret in Romana ecclesia, quæreret aut peteret ab eodem.

Quem cum etiam obaudiret dictus Urbanus, ipse dominus Nicolaus propterea iraccommotus, ad præfatos cardinales infra pauca tempora accessit, extunc partem eorum publice fovendo, nec non eis assistendo consiliis & auxiliis oportunis. Dictus vero dux Otto licet multum de ipsius Urbani duritia doleret, tamen patienter agens & valesfaciens Pontifici, etiam ab eo recessit, ad quem postea non revenit, sed quod ipse Urbanus verus esset Papa, semper tenuit & publice dixit. Verum post hæc dicta domina Maria regina & hæres Trinacria, proditorie capta, ad regnum Aragoniæ abducta fuit: Vnde hominum clades, de-

structiones terrarum & innumerabilia mala postea subsequuta fuerunt, atque ipsum regnum ab obedientia ejusdem Urbani in totum defecit, in qua usque ad obitum ejus & aliquandiu etiam postea remansit, & tandem in parte ad obedientiam *Petri de Luna* pervenit, & pro parte in neutralitate remansit, & remanet de presenti.

Ex Cap. XVII.

Partes Urbani qui fovebant.

C*arolus Imperator* cum eodem Urbano tractavit tantum, quod dictam electionem filii sui in regem Romanum approbavit, & quondam *Io.* tunc Archiepiscopum Pragensem & etiam ad honorem dicti regis *Ludovici* Episcopum Quinqueecclesiensem creavit in Cardinalem, & successivè cum Florentinensi ac Pemilinenfi, nec non Marchisanis scilicet de *Marchia Anthonitana*, & cum dominis *Barnabone* & *Galeatio* fratribus, qui tunc *Mediolanensem* & multas alias civitates *Lombardiæ* tenuerunt, & qui omnes erant de ipsa liga contra *Ecclesiasticam* pacem, fecit sic eos paulatim suæ obedientiæ attrahendo, & cooperante dicto Imperatore suam obedientiam pene per totam *Alemaniam* dilatavit. Multi etiam principes *Alemanix*, & aliarum terrarum sibi pretiosa munera donaverunt.

Sed & *domina Elisabeth* consors dicti *Ludovici* regis ei coronam seu insulam, qua ipse & sui successores in Papatu postea usi fuerunt, & paramenta seu vestimenta *Ecclesiastica* valde pretiosa, quæ ad valorem viginti milium florenorum auri & ultra æstimata fuerunt, pietatis intuitu ei transmissit, quæ tamen mitra dudum perditæ, ut creditur, extitisset, nisi aliquando in manibus creditorum diligenter titulo pignoris conservata fuisset. Sed dicta *domina Joanna regina Sicilia* his stantibus per *Clementem* & ejus cardinales inducta fuit contra voluntatem dicti domini *Otonis* ejus mariti ad obediendum ex tunc prædicto *Clementi*, sed *regnicolæ* regni *Trinacriæ* ipsi Urbano fideliter adhæserunt.

Ex Cap. XXI.

Consilium Urbani de nepote suo extollendo. Item de regibus Hungariæ atque Sicilia.

Conspiciens igitur idem Urbanus, quod tempus eum invitabat, sibi que prosperè in ejus obedientia prædicta succederet, iterum cœpit cor ad alta erigere, & ad executionem realem dictorum processuum procedere, quondam dominum *Martinum* vulgariter nuncupatum *Tarentinensem*, & *Camerarium* suum de *Amalfia* natum, ad dictum *Ludovicum* regem (præfato Imperatore tunc defuncto) destinavit, exhortando eum, quod quondam dominum *Carolum* postea regem *Siciliæ* & moderni domini *Ladislai* regis *Siciliæ* genitorem, tunc ducem *Duratiæ*, & civitatis *Jaurienæ* in *Sclavonia* Rectorem, & apud eundem dominum *Ludovicum* regem in *Hungariæ* existentem, sibi cum decenti armigerorum comitatu destinaret ad urbem, quia eum dicto regno *Siciliæ* in regem præficere & juvare vellet, adeo quod possessionem regni adipisceretur. Dicitur autem *Carolus* dux, qui tunc erat juvenis, & secundum ejus statum pauper princeps, & eidem *dominæ Joannæ* reginæ in propinquo Consanguinitatis gradu conjunctus, quæ quidem regina eum ipsiusque uxorem dominam *Margaretam* de *Duratio* matrem ejusdem *Ladislai* regis à pueritia, ut dicitur, enutrivit, & cujus compater idem dux *Otto* erat, qui ipsum *Ladislau* regem de sacro fonte levavit, invitatus onus hujusmodi istis responsionibus acceptavit, etiam pro eo, quia semel spontè juravit, ut dicebatur, eosdem *Otonem* ducem & ejus uxorem dominam *Ioannam*, ita quod nihil contra eos ipsorumque statum unquam attentare vellet, & super hoc eodem *Carolo* recedente à dicto regno *Siciliæ*, ac transeunte ad ipsum regnum *Hungariæ*, remanserunt prædicti *domina Margareta* & ejus natus *Ladislau* rex ejusque soror *domina Ioanna* postea ducissa *Austriæ*, tunc pueri, apud dominum *Otonem* ducem & *Ioannam* reginam sub tutela eorum, interea quod ipse *Carolus* rex in *Hungariæ* fuit cum *Ludovico* rege, & cum *domina Margareta* sensit, quod rex *Carolus* ad requisitionem Urbani, se de ipso regno *Siciliæ* intromittere vellet, & tunc ad castrum civitatis *Hiferniæ* factis firmum, quod cum eadem civitate prius *domina regina* sibi donavit liberaliter, cum dictis pueris hospite insalutato declinavit, ubi usque ad adventum dicti regis *Caroli* ad ipsum regnum *Siciliæ* remansit. Præfatus verò rex *Hungariæ* cogitans, quod erat senio confractus, & parum præ antiquitate vivere possit, ac timens, quod si decederet dicto *Carolo* in regno *Hungariæ* existente, quod *Hungari* ipsum reciperent in regem dictamque *Mariam* ejus filiam, cujus sororem nuptam habuit quondam *Vilhelmus* dux *Austriæ*, etiam ex ordinatione dicti regis *Ludovici* cum regno *Cracoviæ*, quod tunc etiam idem *Ludovicus* rex pacificè possidebat, à prima hereditate excluderet: unde dictum *Carolum* induxit, quod onus regiminis dicti regni *Siciliæ* in se assumpsit. Sed rex *Ludovicus*, ut dicitur, recepit antè ab eodem *Carolo* juramentum, quod nunquam contra ipsas filias ejusdem regis *Ludovici* facere, aut *Hungariæ* five *Poloniæ* regna hujusmodi vel aliqua alia debita conquirere seu recipere vellet. Quo factò dictus rex *Ludovicus* eundem *Carolum* ad *Italiam* cum com-

petenti

petenti exercitu destinavit, quem tandem venientem ad eandem urbem dictus *Urbanus* satis benigne recepit, & postquam quencunque voluit, ipse dictus *Urbanus* & dictus *Carolus* rex, licet invitus ei concesserat, ipsum regem *Sicilia* coronavit: oportuit enim ipsum *Carolus* *Francisco Pragnano* cognominato *Butyllo*, nepoti præfati *Urbanus*, de quo supra feci mentionem, effeminato & inutili, *Capuani* & *Amalfitani ducatus*, & multos nobiles comitatus in eodem regno *Sicilia* ante omnia concedere, ita *Papa* volente.

Ex Cap. XXIII.

Carolus Duratie dux fraude Neapolim obtinet.

Ipse autem rex *Carolus* cum modica gente armigera respectu tanti negotii ingressus fuit civitatem *Neapolim* per fraudem quorundam civium *Neapolitanorum*, & in eadem pluribus diebus stetit, præfato domino *Ottone* duce continuè dictam civitatem interim ad portam cum valido exercitu obsidente: sed cum jam dictus *Carolus* suum & suorum omnium interitum præ oculis conspiceret imminere, ad aliam cautelam se convertit, unde videntes illi *Neapolitani*, qui eum introduxerunt, se deficere in conceptibus eorundem, quemdam militem *Neapolitanum* antiquum & pauperem, quem dicta domina *Ioanna Regina* satis honorabat & dilexit, de quo etiam dictus dominus *Otto* plurimum confidebat, quia tunc temporis dicta domina *Ioanna* in castro novo per ipsum *Carolus* regem & suos complices obsidebatur, & in ipso castro non erant multa victualia, ita quòd illud regina ipsa diu tenere non poterat, nisi per ipsum dominum *Ottone* manu forti dicta obsidio solveretur, tractabant, quòd aliquod consilium daret eis miles ipse, quò dictum dominum *Ottone* dolo vincere possent. Qui quidem miles tale ipsis dedit consilium, ut audivi, quòd ipse secretam sigillum dictæ dominæ *Ioannæ reginæ* falsificare facere, dictoque *Ottone* scribere vellet, nomine dictæ reginæ, quòd ipse ad eam illa nocte cum sex personis sibi magis charis ad dictam castram accederet, alioquin ipsa castrum diutius tenere non posset, sicque ipsa ad manus hostium miserabiliter deveniret, essetque datus ordo, quòd dominus *Otto* circa horam expressam tunc tute ad eam accedere, ac deinde ad ejus exercitum redire posset. De hoc enim dicta domina *Ioanna* nihil scivit. Ipse autem dominus *Otto* perlegendum hujusmodi simulatam literam, credidit, quòd esset ipsius dominæ litera vera, & statim noctis instantis sub silentio dictos *Marchionem Montisferrati*, quem valde dilexit, nec non *Balthasar* ducem *Brunsvicensis* ejus fratrem ex parte decorum, fortissimum & strenuum militem, maritum unice filix dicti *Honorati Comitis Fundorum*, & tres Capitaneos, de quibus confidebat, duntaxat secum duxit, sed medio tempore quoddam fossatum factum fuit ex dolo dicti militis in itinere, per quòd dux & focii transiverunt, & illic insidiæ *L. virorum* prope dictum fossatum positæ in absconso fuerunt: quò cum dictus *Otto* perveniret ipsemet quintus, quorum unus fuit dictus *Marchio*, cum equis eorum in hujusmodi fossatum ceciderunt, & illic dicto *Marchione* & tribus suis comitibus interfectis per eos, qui insidiabantur, & præfatus dominus *Otto* captus, & ad eundem regem *Carolus* captivus ductus fuit solus, eodem domino *Balthasar* ad hujusmodi exercitum fugæ subsidio subito cum planctu & mœrore maximo revertente, qui tamen postea casu repertus, & ad manus dicti *Caroli* perductus, de ipsius *Caroli* mandato exoculatus fuit. *Neapoli* in publico foro, ubi olim innocens juvenis *Coradinus* rex & hæres dictorum regnorum *Sicilia* & *Trinacria*, & dux *Suevia* de mandato *Caroli primi regis Sicilia*, de quo ipse rex *Carolus* descendit, ut fertur, cum aliquibus ducibus extiterat decollatus.

Cap. XXIV.

De fortitudine Ottonis ducis, ejusque uxoris aliorumque ducum detentatione.

Cum autem dictus dominus *Otto* ad præsentiam ejusdem regis *Caroli* perveniret, idem rex *Carolus* ei inceperat imperare, dicens, quò animo ipse dictum regnum *Sicilia* contra eum præsumeret detinere. Cui dictus dux respondit dicens, quòd nihil sibi de ipsius *Caroli* regno constaret, sed regnum dominæ suæ prout tenebatur contra ipsius dominæ hostes pro posse fideliter defensasset, quòdque aliud in veritate dicere nemo posset: nec caput, nec genua coram ipso *Carolo* flexit. De quo admiratus idem rex *Carolus* eum in carceribus trudi mandavit, in quibus penè per triennium remansit. Sed ecce mirum factum, idem dux *Otto* fuit prudentissimus ac strenuus nimis in factis armorum à pueritia in talibus potissimè in partibus *Lombardia* ac *Pedemontii* enutritus: nam à plerisque audivi, quòd ipse in *XL* bellis campestribus contra predictos dominos *Benabovem*, & *Galleatium*, nec non diversos alios potentes dominos & tyrannos pugnando feliciter triumphasset: *Aquensem*, *Patiensem* & *Vercellensem* civitates, & multa loca & castra fortissima expugnando cepit, & erat suis hostibus durissimus, & postea tamen in puncto corruit: cum quo sic improvise cadendo totum illud regnum *Sicilia* nec non ipsa domina *Ioanna regina*, ejusque nobi-

les & satrapæ pro majori parte infra dies paucos captivi etiam ad manus dicti Caroli preverunt, prædictus etiam ejus exercitus sine defensione subito post captivitatem dicti domini Ottonis per paucos respectivè dicti domini Caroli regis auxiliores dispersus & contritus evanuit, & hoc contigit, ut fama laborat, artificio & incantatione cujusdam *vagabundi*, qui se militem esse dicebat, multas sciens exorcisationes vel incantationes facere per artem Magicam, quem per paucos dies ante Romam vidi, qui per ipsum regem Carolum tunc, & etiam postea, quando dux Andegavenfis regnum Sicilie intravit, per eundem Carolum inductus pretio eidem duci Andegavenfi & ejus exercitui occurrit in limitibus ejusdem regni Sicilie, nec non dictis incantationibus etiam ducem Andegavensem, & ejus exercitum ludificare satagens, cognitus autem per aliquos, qui in eodem exercitu dicti ducis Ottonis succubnerunt, ac vivus apprehensus & ad trabem alligatus ad ignem de mandato dicti ducis Andegavenfis combustus occubuit. Dicitur autem *Robertus de Ortheys*, natione Gallicus, maritus *domine Mariae* sororis dictæ *domine regine Margarete*, etiam tunc captivatus ad manus dicti Caroli pervenit, & in carceribus diem clausit extremum.

Cap. XXV.

De Ioanna regina in carcere jugulatione.

Ipsa vero domina *Regina Ioanna* statim, postquam sensit, quod dictus dominus Otto vir suus captus erat, ut præfertur, confisa quod sibi saltem salva maneret vita, se tradidit prædicto Carolo, quam captivam diligenter custoditam ad quoddam castrum in Aprucio destinavit, in cujus quidem castri capella postea cum quadam die oraret, ut fertur, sedens ante altare genu flexa de mandato ipsius Caroli per quatuor satellites Hungaros fuerat strangulata, & *dominam Mariam* præfatæ *domine Margarete* sororem semper ex tunc detinuit in statu misero quandiu vixit: quamquam in eadem captivitate in castro prope Neapolim, quam aliquando vidi incedere in sordidis vestibus, quasi esset paupercula pedisequa, apud quam, postquam capta erat, in promptu pecunia ultra LXX. milia florenorum auri reperta ad fiscum dicti Caroli pervenerant. Sed ante hoc ut aliquot pecuniarum subsidium impertiretur pro stipendiariis tenendis contra ipsum Carolum requisitam per eandem dominam *Ioannam reginam*, negabat se aliquas habere pecunias, nec ad illud unum obulum, ut æstimo, exbursisset: nec mirum, quia non est avaritia super avaritiam mulierum, ut experientia docet, & aliqui dixerunt, quod veneno sumpto dicta domina *Margareta* conscia seu mandante periisset. Præterea dum in provincia in Gallia sentirent subditi ipsius domine *Ioannæ*, quod in ipso castro novo in Neapoli, quod prope portum maris consistit, per eundem regem Carolum obsideretur, ipsi multas galeas, forte numero XIV. in succursum dictæ domine armarunt, & in eis multi experti nautæ ac etiam armigeri ad Neapolim recto tramite, navigarunt, quo venientes & in veritate comperito per ipsos, quod dicta domina capta & abducta fuerat, ut præfertur, ad vindicandam dictam dominam ex tunc se dicti ducis Andegavenfis obsequiis subdiderunt, multa terribilia in eodem regno Sicilie committendo.

Ex Capite XXXIV.

Cardinales iterum pacem inter ipsum Papam ac regem [Carolus] & *Butyllum* procurantes fieri, dictaverunt in illa, quod dictus *Franciscus* quandam nobilem virginem, ipsi regi propinquitate conjunctam, & magni Justitiarum regni Sicilie filiam acciperet in uxorem, quodque rex ipse, quamdiu dux Andegavenfis præfatus esset in regno Sicilie, septuaginta milia florenorum daret singulis annis pro censu ducatum prædictorum dicto *Francisco*. Deditque rex ipse liberaliter *Butyllo* tunc nobile castrum *Luceria*, distans à Neapoli versus *Salerum* per viginti quatuor miliaria, cum ejus Burgo, villis, & pertinentiis universis: quod fuit olim dicti domini *Otonis ducis*, & adhuc ejus corporis figura depicta in quadam camera videtur in illo.

Ex Capite XL.

Circa dictum castrum *Luceria* in montibus & sylvis apri, cervi nec non aliæ feræ sylvestres sunt: propterea dictus dominus *Otto Brunsvicensis* plerumque illic in regali & propria potestate ad pellendam segnitiam venari consuetus, solum de feris, quas eo agitante capi contigit, duntaxat capite servato residuum comitantibus eum nobilibus donavit.

Ex Capite XLIV.

Dictus *Vrbanus* rancore & ira impeditus non respexit, quales Cardinales pro utilitate universalis Ecclesie tunc crearet, & interim urgente necessitate longè quærens auxilia, per quæ posset in necessitatis articulo de ipso castro invitis hostibus liberari, misit suos nuncios ad quendam strenuum virum dominum *Raymundum de Baucio*, filium domini *Comitis Nolensis de Vrfinis*, qui quidem *Raymundus* erat potens opere & sermone in eadem *Apulia*, sed partem dicti regis non fovebat, sed *Clementi* ac duci *Andegavenfi*

GAVENSI adhærebat, licet prædictus ejus genitor Comes Nolenfis tunc præcipuæ dignitatis efferet cum rege Carolo & huic Domino Raymundo post obitum Ludovici ducis Andegavenfis in Apulia, ut præfertur, ejusdem ducis exercitus adhæsit, quique demum defuncto eodem domino *Ottone principe Tarentinensi* & in principatu Tarentinensi successit, quem idem dominus *Otto* post ipsius liberationem à captivitate prædicta recuperavit, & in terra *Foce* in Apulia decessit, agens tunc annum octuagesimum. In summa, tantum cum eodem domino Raymundo Urbanus effecit, quod cum omnibus sibi adhærentibus ad ejus defensionem totus inclinabat.

Cap. LX.

De liberatione ducis Ottonis, atque miserorum quinque Cardinalium captivorum interitu.

EO tempore Urbanus Neapoli residebat, dictus *Otto dux* carceribus per triennium à Carolo in arce munitissima, vulgò Minervini dicta, etiam per Fridericum II Augustum regem Sicilia condita, servabatur. Tamen fide præstita de redeundo potuit aliquando extradictum castrum recreandi animi gratia spaciari ac venari. Is dum quodam tempore extradictum castrum Minervini venationi vacaret, per quosdam Britones captus ad Avinionem ducebatur; sed dum dictus Urbanus adhuc Genuæ moraretur, cum audivisset dominum *Ottone* è Gallia revertentem ac die quodam Novembris per mare trajicientem versus dictum regnum Trinacriæ (quod tunc & diu antea per quatuor potentes Barones de quatuor nobilium domibus regni Trinacriæ regebatur) urbem Genuam prætervectum, ægrè tulit, licet crederet dictum dominum *Ottone* contra Neapolim non posse proficere, tamen disponens iterum velle ad dictum regnum Sicilia redire, sibi que esse nimis onerosum, quod dictos quinque captivos Cardinales secum duceret: unde quadam nocte infra paucos dies antequàm de Genua recederet, mensè Decembri, ut quidam retulerunt, securi eos percuti seu mactari jusit, aliqui autem dixerunt, quod in mari eos præcipitari fecit: sed qualitercunque sit, utique ipsi quinque Cardinales postea non videbantur. Fama erat, quod in stabulo equorum dicti Urbani in quadam fossa repleta calce viva eorum corpora projecta, & in ea totaliter combusta & in cineres conversa fuerunt.

Cap. LXII.

Otto Apulia primoribus confederatus regnum in potestatem redigit.

DEINDE Urbanus mensè Decembri navali subsidio ab urbe Genuensi versus Lucam transitavit, ubi novem menses continuo desedit: interim dictus *Otto dux* ad ipsum regnum Trinacriæ pervenit, ubi magnificè per nobiles receptus est, atque hinc in Apuliam profectus cum primoribus, potissimè de sancto Severino, hostibus ejusdem dominæ *Margareta regina* tum Siciliam post mortem prædicti Caroli regentis, sædus inivit, qui potenter Neapolim intrantes eam vi ceperunt, multoque tempore tenuerunt.

Cap. LXV.

De Ullione ab Ottonis militibus in cives Neapolitanos, deque Ottonis ducis pietate.

TUNC ac diu postea ipsa civitas Neapolitana, propter prodicionem, qua ejus cives & incolæ contra dominum *Ottone* ducem & eius uxorem *Joannam reginam* egerunt, intromittendo dictum regem Carolum miserè fluctuabat: spoliabantur enim continuè domus multorum civium, & exponebantur prædæ victoribus, adulteria, stupra, & alia multa fiebant mala in civitate, unde in maximo numero cives utriusque sexus ea tempestate terra ac mari ad Trinacriam, Capuam, Gaietam, & alias civitates ac loca confugerunt; quod cum dominus *Otto dux* audiret, misericordia motus, utpote pius & mansuetus, nec vindictæ cupidus CCCC. dominas, quæ tunc à Neapoli ad Aversam simil confugerant, per suos familiares cum honesta comitiva ad Neapolim reduci jusit, promittens eis, quod ibidem manendo non inferretur damnum, vel jactura in personis aut rebus earundem. Quibus reversis, die sequenti edictum per totam civitatem publicari fecit, quo sub pœna capitis nullus militum aut quisque alius viro vel fœminæ Neapolitanis in personis, domibus, aut rebus aliquam offensam, vel iniuriam irrogaret. Cumque aliqui ex civibus ad dominum *Ottone* ducem venirent, petendo veniam de commissis per eos contra ipsum & ejus consortem perpetrata, pepercit eis, & aliquando flendo cum ipsis flentibus dixit, cur tot & tanta mala contra nos perpetrare voluistis, immemores quam benigne uxor mea vos habuit, & in quanto amore vos confovit. Attamen bona pars pretiosi panni atque tentoria, quæ Urbano eandem civitatem ingressuro in vico Nidi præsentia fuerunt, ut superius dixi, & alia multa pretiosa

jocalia ad manus victorum primis incalcentibus injuriarum motibus pervenerunt, quæ vendita, ad Cathaloniam & alia diversa loca maritima adducta, nunquam restituta fuerunt: quorum malorum præcipua causa fuit Urbanus propter iracundiam, quam conceperat & habeat contra Carolum regem ejusque consortem & natos sæpè dictos. Ex quibus elicitur illud verificari, quod nihil adeo forte & firmum in hoc mundo subsistit, quod ruinam pati non possit. Quis enim vidit munitiorem & pulchriorem civitatem ipsa Neapoli. Attamen peccatis civium & incolarum exigentibus tam gravem periculofamque in suæ visitationis tempore passa fuit ultionem, & gratia DEI factum est, quo non, ut Sodoma, periret in æternum.

EX GOBELINI PERSONÆ COSMODROM. ÆTAT. VI.

Cap. LXXVI.

AD declarandum ea, quæ dehinc acta sunt domina *IOHANNA regina Sicilia* deducatur in medium. Hæc enim schismatis execrabilis fomitem plurimum excitavit. Dum enim ad summi Pontificatus apicem electionis Domini *VRBANI* ad ipsius notitiam certitudo pervenit, in gaudiorum corde suo diversitatem resoluta, ipsam se de Neapoli Papam sibi factum cunctis gloriari demonstrans, in symphoniis, choreis, epularum conviviiis, aliisque deliciis plurimis palam omnibus Neapoli festa multiplicavit. Speravit liquidem *OTTO* Duce, de domo Ducum Saxonie exortum, tunc maritum suum, *Jerusalem & Sicilia regnorum*, quorum ipsa gaudebat titulis, in Regem per Papam coronari: Sed idem Dux maritus ipsius reginæ quartus extiterat, & ipsa jam annos sterilitatis attigerat, Principibus etiam regni renitentibus hujusmodi desiderii effectum à Papa minimè potuit obtinere. Et deinde callidioribus quibusdam inter Papam & ipsam intervenientibus delatoribus, uterque eorum contra alterum exasperatus est. Quapropter cum ut non caput nequius super caput colubri sic non est ira super iram mulieris, brevisque omnis malitia super malitiam mulieris, ipsa Regina consilii scelesti schismaticorum Cardinalium conscia facta, *ROBERTVM* Antipapam Vicarium *CHRISTI* verum furere pertinaci mentis affirmans, ut maritus ejus prædictus regium fusciperet diadema, ipsi domino *URBANO* suisque fidelibus totis viribus satagebat obesse. Quare Neapolitani, gravibus inter se seditionibus ortis, clamantes per plateas alii, *vivat Papa de Roma*: alii *vivat Papa de Fundis*, mutua cæde se pertruncare conantur. Cumque ipsa sit potens in iniquitate, in malitia gloriando dilexit malitiam supra benignitatem, Deos destruxit eam in finem, & evulsit eam de tabernaculo suo; Nam Dominus *URBANUS*, justum penes ordinem juris, excommunicationis, honoris, dignitatumque, quarumcunque, & præcipuè regnorum *Jerusalem*, & *Sicilia* privationis contra ipsam sententis cum maledictione præmissis, regna prædicta domino *KAROLO de Duratio*, qui a vulgo *KAROLUS de Pace* dicebatur, contulit, ut ipse auxilio regis *Ungariæ*, cui consanguinitate conjunctus fuerat, regnum *Sicilia* ab ipsa *IOHANNA* evincendo, sententias Papæ, contra eum latas, tentaret facere ratas. Rex itaque *Ungariæ* jamdudum contra prædictam reginam ægrum gestans animus ex eo, quod quondam rex *ANDREAS* frater ejusdem regis, primus ipsius reginæ *IOHANNÆ* maritus, in *Aversa* civitate noctu in palatio strangulatus, & de fenestra projectus, & de mane repertus in horto fuerat: cujus sceleris ipsam reginam communis fama consciam prædicabat, licet eundem fratrem suum magnificè vindicaverat, ad ipsius reginæ exterminium ferventiùs anhelabat. Unde *KAROLUS* collecto exercitu de *Ungaria*, per partes profectus *Italia*, Romanam pervenit ad urbem, ubi à Papa *URBANO*, præstitis sibi jure homagii fidelitatis sacramentis, regni *Sicilia* diadema recepit. Et deinde sic regni insignibus decoratus Apostolicæ benedictionis gratia confortatus, novisque generibus armorum adauctus, versus Neapolim cœpit dirigere gressus. Cujus dum adventum Regina & Dux *OTTO* perceperunt mentis eorum cogitamina non modici terroris turbo dispersit. Veruntamen Dux *OTTO* priusquam *KAROLUS* Neapolim perveniret, se belli conflictibus ei opponere decernens, se contra DEI potentiam pugnaturum non perpendens, de suorum confidens fortitudine & audacia ipsi obviam egrediebatur in campum. Cumque itineris transitus, per quos *KAROLUS* erat transiturus, occuparet, de quorundam suorum, forte sibi non fidelium, consilio secessit à via, ut eodem asserente consilio, *KAROLUS* cum suis, spaciis illis pertransitis, inter ipsius Ducis *OTTONIS* exercitum ipsum tunc insequentis à tergo, & civitatem Neapolim se cernens interceptum, omni fugæ præsidio destitutus, cogeretur conflictus ingredi belli. *KAROLUS* igitur illic pertransiens, celeriter versus Neapolim tendens portis civitatis illo, dum venerat, die apertis, suorum consilio fidelium procurante, repertis, civitatem ipsam cum suis festinanter intravit. Dux autem *OTTO* avidus belli veniens à retro, intelligens *KAROLUM* introivisse Neapolim, vehementer obstupuit, & ex alto suspiria pectore trahens, nimio præ dolore querulosis vocibus anxiosa lamenta produxit. Unde Dux *OTTO* ad castrum sancti *Erasmi* supra Neapolim in montis amenissimi vertice constitutum se recepit. Et *KAROLUS* intra civitatem, suorum fidelium cooperante ministerio, castrum novum regia venustate decorum,

rum, quod Regina in extremo civitatis in littore maris situm tenuit, plurimis instrumentis bellicis fortiter impetiit, mœnia, trium tecta palatiorum saxis ingentibus, bombardis aut machinis violenter emissis ex omni parte perforando & simul invicem concutiendo. Urigitur citius KAROLI consilium sui laboris finalem consequeretur effectum, quoddam turpis machinationis genus hunc excogitavit in modum: capiebantur quædam *barilia*, quæ stercore humano mixto cum manibus, pedibus, vel capitibus, aut aliis membris à captivorum corporibus nimia crudelitate præcis, impleta, machinis ad aëris alta projecta, dehinc cadentia deorsum, super ipsius castri planiciem, vel ædificiorum structuras, impetuosè magnocum fragorè collisa, tantum fudere foetorem, ut intra castrum existentes, in aëris infecti attractione continua vomere compulsi, ilico se suffocari timuerunt, ipsisque omnibus, tam crudelis & impia humanorum membrorum dispersio, non immeritò validum incussit horrorem. Interea aquæ-ductu per *ducem OTTONEM* interciso, Neapolitani non solum propter hominum, verum etiam equorum multitudinem, aquarum penuria angustati pluvialibus aquis, cisternis diu confotis, sunt contentari coacti. Tandem *Dux OTTO* corpus proprium pro dominæ & uxoris redemptione se mortis periculo subdere non metuens, dum ut adhuc contra KAROLUM pugnaret, per montem castri supra dicti, quò ascenderat cum suis armatus, descendit equester, gentes CAROLI pedestres, pro-ut proditoriè ordinatum, asserebatur, in ipsius montis vineis latitantes, ipsum cum suis, eorum insidias advertentes minime, absque resistentiâ quacunquæ ceperunt. Quod dum ad reginæ noticiam pervenerat, ipsa quasi mente deficiens præ dolore, tot se cernens augustiis circumseptam, se ipsam dans in manus Karoli, castrum quod tenuit, de succursu fideli desperans, tradebat. Hinc, aquæductu reformato rex Karolus civitatis Neapolis, ipsius castrorum trium reliquorum, videlicet sancti Erasmi, castri Ovi, & castri Capuani, & civitatum aliarum ac castrorum ipsius regni plurimorum potens effectus, *Ducem Ottonem* carceribus mancipavit. Regina verò in vindictam mortis *Andree regis* supra dicti secretè jugulata dicebatur: quidam tamen eam in carcere fame spontanea periisse asseruerunt, & apud sanctam Claram extra ecclesiam est sepulta. Causam successionis hæreditariæ Karoli in regno, & mortis *Andree regis* occasiones has intellexi fuisse: *Regina* quidem *Johanna* habuit sororem pulcrâ valde cui cessit, in divisione hæreditarij juris Ducatus Duracii, cum nonnullis aliis terris Apulix. Hanc *ANDREAS* rex adamavit, & clam gravidam fecit. Unde misit eam ad Dominum *LUDOVICUM* regem Ungariæ, ubi peperit filium, qui *KAROLUS* est nominatus. Et iste *KAROLUS* sic existens filius sororis reginæ *JOHANNÆ*, quamvis illegitimus, qui tanquam ex duabus coronis regiis procreatus justè succedere posse in regno patris dicebatur, in regem à Papa *URBANO* prædicto promotus est. Ex his perpendi potest liquidè Domini Urbani Papæ benedictio quantæ fuerit efficacix, cum rex *KAROLUS*, absque belli conflictu, sibi tanta subegit; ipsiusque maledictionis sententia in quanta dispenciâ adversantes sibi deduxit, cum Domina *JOHANNA Sicilia regina, Provincia & Pedemontis comitissa*, maritusque ejus *Dux OTTO*, tot divitiis, tantaque potentia fulti, sunt tam subito ad infelicitatis in via dejecti: quis enim hæc audiens, ipsa ultionis modo divino contigisse negaret? Hinc *NEAPOLITANI* novi regis in laudem, ut Trojani Paridis in nuptiis, non quia perpetrati violentiæ gaudebant injustè, sed quia venturæ tribulationis ignari gaudiorum satagebant, insistere festis. Camplores igitur etiam pecunias per platearum theatra sparserunt. Hæc igitur tam grandis & horrenda in regni capite, puta Neapoli, inchoata turbatio, totum regnum, cunctas per ipsius provincias dispersa, magno concussit horrore. Unde effusa est contentio super principes, & eorum plurimi, cum civitatibus, castris, omnibusque subiectis contra *KAROLUM* inita conjuratione sunt ei rebelles facti. Cumque Neapolitani, inter ceteros captivos, Teutonicos in odium Ducis *OTTONIS* maxime exosos haberent, omnes eos postulabant occidi. Plurimos enim ex eis, licet Duci nihil auxilii præstiterint, solummodo nationis causa trucidabant. Unde multi eorum, inter alios populares mechanicis artibus insudantes, ut aliàs degentes ibidem, ab honestis mulieribus misericordia motis intra cisternas & cellaria occultabantur, donec primi tumultus furor quiescebat. Rex *KAROLUS*, videns Neapolitanorum animos in Teutonicorum necem obstinatos, nec eos flectere valens, nec eis resistere audens, commisit *VILLANUCIO* militi, duci exercitus sui, ut in hoc articulo, quid expediret, protinus ordinaret. Quapropter *VILLANUCIUS* cunctis Teutonicis cum *Duce OTTONE* captis congregatis in unum, singulis eorum arma sua reddidit, & convenientibus eis in planicie, ante castrum novum, quæ *carveria* dicitur, *VILLANUCIUS* Neapolitanis dixit, ut Teutonicos apprehenderent, si placeret ipsis occidere eos. Neapolitani verò tanto se recusantes submittere periculo, ut Teutonici illi extra regni confinia salvi discederent, consensum præbuerunt. Quapropter rex *KAROLUS* quibusdam galeis aptatis eos extra regni sui districtum salvos perducere fecit.

Caput LXXVII.

Cum igitur hujusmodi gestorum fama, per plurimas mundi partes diffusa, ad regnum Franciæ miranda pervenit, *LODEVICUS Dux Andegavensis*, verum regni Siciliæ, post
 H
 ipsius

ipsius *regina Johanna* decessum, se arbitratus heredem, congregavit exercitum magnum, castra fortia valde, & quemadmodum Rex ANTIOCHUS contra Machabæos procedens, ærarii sui claustris apertis, larga stipendia præstans, regni Sicilia possessionem, KAROLO & cunctis ei faventibus invitis, se capturum manu potenti assumpsit. Ipse igitur iter arripens ad Antipapam regis coronationis causæ Avenionem magna cum pompa properavit: & deinde postquam de facto coronatus est, versus Italiam tendens tantum sibi collegit exercitum, ut principem aliquem tantam gentium multitudinem, tam longinquas ad partes tanto traduxisse decore hominum memoria nulla comprehendat. Nam plurimi de ipsa referentes, audientium quasi mendaces incidere derisum: alii enim ex sexagenis lancearum millibus: alii ex tot milibus armatorum eam constituisse contendunt. A quodam tamen, qui se de eodem exercitu fuisse fatebatur, intellexi, quod idem Dux dum versus Italiam tendens Avinionem exciverat, habebat duodecim millia equitum: antequam verò ad regnum Sicilia pervenit exercitus ejus amicorum suorum confluentia, & stipendiorum prodigalitate sic crevit, ut Apuliam ejusdem regni provinciam cum septuaginta quinque milibus equitum, censeretur inire. Ipse igitur cum tanta veniens potestate, per KAROLO rebelles in regem & dominum susceptus est. Unde seditiones & guerræ per cunctas ipsius regni provincias sunt multiplicata. His itaque aliquandiu continuatis, Dominus URBANUS Papa Romæ existens, regnum prædictum, ob discordiæ gravitatem languescens, abundantia pacis fatiare desiderans, ut principes & nobiles regni redderet unanimes, ad regis KAROLI profectum & contra LUDOVICUM Ducem, jam in exercitu suo fame & pestilentia debilitatum, versus Neapolim se direxit. Cumque rex KAROLUS juramentis & pactis, Papæ tempore coronationis suæ præstitis & promissis, non usque quaque servatis, Papam versus Neapolim iter arripuisse cognovit, ipse Papam ad suæ perturbationis, & consanguineorum Papæ promotionis causam venire suspicatus, æmulum Papæ consilio, Papæ vi doloque reniti decrevit. Unde Papa civitati Averfanæ appropinquante KAROLUS egressus obviam ei, osculis, inde lætitiâ simulans, ipsum cum reverentia dolis plena suscepit. Hinc KAROLUS equi Papæ manu propria apprehensis habenis, Papam ad ipsius civitatis castrum ducere satagebat: sed Papa: ne forte sibi liber abscessus ab inde non pateret, castrum ascendere renuit, sed curiam episcopi, rege quodammodo invito, adiit. Rege igitur illa, quæ pro cœna fecerat parari, ad curiam episcopi mandans deferri, ibidem cum Papa, supinamente agni vellere tecta, cœnavit. Nam die sequenti transacta, quæ fuit vigilia omnium Sanctorum, de anno Domini MCCCLXXXIII noctisque sequentis per urbem diffusa, calligine, rex damno consilio circumventus, ad curiam, in qua Papa residebat, quosdam viros armatos dirigens, Papam ad se venire mandavit: Qui cum illam horam, se ad regem venire postulari illi hora, qua Judæi CHRISTUM comprehenderunt, assereret, illi qui missi fuerant, in Papam manus violentas mittere tentant. Unde Papa quasi malefactor ductus est, & nihilominus se ducentes excommunicatos denunciât, eosque ut sacrilegos voce libera damnat. Et postea expertum est, quod principis illius manus & latus dextrum, qui manus primum misit in Papam, eodem anno exaruerunt. Tribus itaque diebus Papa solatio & consilio destitutus, totaque ejus curia perturbata in castrò cum rege permansit invitatus. Et tandem concordatis eis, Papa & rex Neapolim se in magna solennitate transferebant, & in castrum novum se simul receperunt. Deinde post paucos dies, Papa ad Archiepiscopi curiam se transferens, actus Romanæ curiæ consuetos, crastino octavæ Epiphaniæ Domini instituit continuari. Procedente verò tempore, dum sol gratiores dies produxit, æstivos, KAROLUS, quasi contra Ducem LODOVICUM pugnaturus cum exercitu magno profectus est, & in Apulia ferè per totam æstatem residebat. Inter hæc Papa futurorum providus castrum quoddam egregium Nuceria, vel Luceria, Christianorum appellatum, à Neapoli per XXIV. milliaria distans, frumento, vino, & aliis victualibus sufficienter præmunivit, & in mensè Junio illuc se cum curia sua transferebat; sub quo burgus erat vix septuaginta domos habitabiles continens, qui muro, duas habente valvas & portam parvulam, absque fossatis, cingebantur, quapropter non solum ob incommoditatem verum etiam penuriam hospitiorum curiales tædunt ibidem trahere moram.

Unde locum ipsum, cum in diœcesi Salernitana tunc extitit, quidam subfannativè *Miseriam Saurata*, quod lingua vulgari stultæ vel tædiosæ sonat diœcesis, appellabant. Papa igitur sedem Apostolicam instaurans ibidem, castrum ipsum in literis Apostolicis castrum civitatis Luceriæ Christianorum appellari decrevit. Accidit deinde septima die mensis Augusti, circa horam diei sextam, quod fumo quodam non longe ab eodem castrò, in montibus ascendente, quidam gentes nescio quas, armatas suspicati forte propè, rumorem magnum de inimicis jam propè existentibus, ad deprædandum Curtisanos accelerantibus, concitaverant: quare perturbatis omnibus, Cardinales, episcopi, prælati, nec non penè curtisani omnes, versus loca diversa fugiendo festinabant: sed quia non erat, ut fama detulerat, post dies paucos reversi sunt. Post hæc die, inter regem Karolum & Lodovicum Ducem, *Andegavensem* decreto, veniente, quo eorum guerræ importunitatem belli conflictu sopirent,

Dux

Dux super rivum quendam in campis parentibus castra metatus est, & rex Barletum seu castrum Baroli exiens inter vineas exercitus sui castra diffudit. Cumque sic triduo utroque exercitu stante neuter contra alterum aciem dirigeret, Dux **LODEVICUS**, victualium compulsius penuria, locum mutans ad loca, quæ propè tenuit munita, secessit. Mortuo duce Andogavenfi **Dux OTTO** solvitur à carcere, & in quodam castello sub bona fide liberè versari permittitur. Et tandem rex missis quibusdam armatis jubet eum adduci ad se, quod fideles Ducis Andogavenfis defuncti explorantes insidias per viam posuerunt, & cum juxta se **Dux OTTO** deduceretur, ipsi ab insidiis erumpentes **Ducem OTTONEM** liberant. & fugatis his, qui duxerunt eum, ipsum secum abducunt & ipse Capitaneus eorum factus est: sed non diu eo tempore cum ipsis perseveravit.

Ex Capite LXXXI.

Post mortem Caroli **Dux Otto** Neapolim recuperavit, & multis de parte sibi contraria interfectis, potentiores quosdam sub custodia detinendos Tarentum destinavit. Regina vero **Margareta** uxor Caroli cum filio suo fugit, & in civitatem **Cajetanam** firmissimam se recepit. Post hoc filius Ducis Andogavenfis defuncti veniens cum exercitu magno, **Duce Ottone** subsidium sibi ferente, Neapolim cum multis aliis civitatibus & castris ipsius regni **Siciliæ** in deditioe suscepit. Eodem anno, videlicet nativitate Domini **DCCCCLXXXVI**, **Barabro** tyrannus **Mediolanensium** à filio quodam fratris sui, videlicet **Comite Virtutum**, qui **Papiam** tenuit, captus est & custodiae mandatus; & priusquam per annum in custodia degit, defunctus est, & ipse Comes, filiis **Barrabonis** fugatis, **Mediolanum** cum suo districtu obtinuit universo. Anno **MCCCLXXXVII** **Præfectus de Pterbia**, qui longo tempore **Romanæ Ecclesiæ** rebellis extiterat, à fidelibus Domini **Urbani** interfectus est. Eodem anno **Dux Otto** & **Domina Margareta** uxor quondam Caroli conciliati sunt.

IX.

EXCERPTA CHRONOLOGICA

DE

DVCIBVS BRUNSVICENSIBVS

ET DE RELIQUIIS ECCLESIAE COLLEGIATÆ S. BLASII

Hæc sunt nomina Reliquiarum, quæ sunt reconditæ in cruce, quæ stat in media Ecclesia ante chorum, quam **Dux HINRICVS** Leo fieri jussit pro remedio animæ suæ. De ligno Domini. De spinea corona. De vestimentis **S. Mariæ**. **S. Johannis Baptistæ**, **S. Stephani Protomart.** **S. Laurentii Martyris.** **S. Christophori Martyris.** **S. Quiriaci**, qui & **Judas.** **SS. Nerei & Achillæi**, & **Pancratii Martyrum**; **S. Nicolai Episcopi & confessoris.** **S. Mariæ Magdalena.**

Istæ reliquæ sunt in capite nigræ crucis, Anno 1312. Sanguis Domini nostri **Jesu Christi.** De ligno Domini. De virga **Aaron.** **S. Bartholomæi Apostoli.** De Innocentibus. **S. Hippolyti Martyris.** **S. Damiani Martyris.** **S. Thomæ Episcopi & martyris.** **S. Cæcilie Virginis & martyris.** **SS. Justii & Arythemii & Honestæ Martyrum.**

Istæ reliquæ sunt positæ in novum plenarium, An. Domini 1311. De ligno Domini, de vestimentis **S. Johannis Evangel.** **S. Matthæi.** **S. Marci Evangel.** **S. Lucæ Evangel.** **S. Petri.** **S. Pauli.** **S. Bartholomæi.** **S. Johannis Baptistæ.** **S. Blasii Episcopi.** **S. Thomæ Episcopi.** De Innocentibus, **SS. Abdon & Sennes.** **S. Godehardi Episc.** **S. Barwardi Episc.** **S. Autoris Episc.** **S. Magni Episc.** **S. Ursule Virginis.** **S. Cæcilie Virg.** **S. Laurentii Martyris.** **S. Adelheydis Imperatricis.** **S. Cunegundis Imp. & Virginis.** **S. Henrici Regis.**

Anno Domini 1312. In vigilia translationis **S. Blasii Episcopi**, est dicata capella, altare & cœmeterium in **Seeverlingeborg**, in honorem **S. Mariæ.** **S. Johannis Bapt.** & **S. Blasii Episcopi & Martyris**, à fratre **Hermanno Belonvilonenfis Ecclesiæ S. Johannis Baptistæ Episcopo**, auctoritate Domini **Alberti de Anehalt, Halberstadenfis Ecclesiæ Episcopi.** procurantibus Dominis nostris, **Bal. Decano,** **Eugenio de Medingen Præposito,** **Henrico de Lunenburg,** **Ecchardo custode,** **Thiderico de Gadensted, Magistro Brunone,** **Widekindo,** **Sigfrido,** de **Alten.** **Borchardo de Cramme,** & patre suo **Harberto,** **Henrico de Weverlinge,** **Ludolfo de Holleghe,** **Lukemanno,** **Wasmodo de Knefebeck,** **Nicolao de Werle,** **Johanne Felice & Thiderico de Polede de Goslaria,** **Reinboldo Scholastico.**

Istæ reliquæ sunt positæ in altare. De virga **Aaron,** de candela, quam **S. Petrus** consecravit, de velo **B. Mariæ,** **S. Johannis Baptistæ,** **S. Andreæ,** **S. Bartholomæi.** **S. Jacobi majoris,**